

tenebat. Proximus annus civili bello intentus, quantum ad Iudaeos, per otium transiit. Pace per Italiam parta, et externae curae rediere. Augebat iras, quod soli Iudaei non cessissent. Simul manere apud exercitus Titum, ad omnes principatus novi eventus casusve utilius videbatur. Igitur castris, ut diximus, ante moenia Hierosolymorum positis, instructas legiones ostentavit.

XI. Iudaei sub ipsos muros struxere aciem, rebus secundis longius ausuri, et si pellerentur, parato perfugio. Missus in eos eques cum expeditis cohortibus ambigue certavit. Mox cessere hostes, et sequentibus diebus crebra pro portis praelia serebant; donec assiduis damnis intra moenia pellerentur. Romani ad oppugnandum versi: neque enim dignum videbatur, famem hostium opperiri: posebantque pericula, pars virtute, multi ferocia et cupidine praemiorum. Ipsi Tito Roma, et opes voluptatesque ante oculos; ac nisi statim Hierosolyma conciderent, morari videbantur. Sed urbem, arduam situ, opera molesque firmaverant, quis vel plana satis munirentur. Nam duos colles, immensum editos, claudebant muri, per artem obliqui, aut introrsus sinuati: ut latera oppugnantium ad ictus patescerent. Extrema rupis abrupta: et turres, ubi mons juvisset, in sexaginta pedes, inter devexa, in centenos vicenosque adtollebantur, mira specie, ac procul intuentibus pares. Alia intus moenia, regiae circumjecta: conspicuoque fastigio turris Antonia, in honorem M. Antonii ab Herode appellata.

XII. Templum in modum arcis, propriique muri, labore et opere ante alios: ipsae porticus, quis templum ambiebatur, egregium propugnaculum. Fons perennis aquae, cavati sub terra montes: et piscinae cisternaeque servandis imbribus. Praeviderant conditores, ex diversitate morum, crebra bella: inde cuncta quamvis adversus longum obsidium; et a Pompejo expugnatis metus atque usus pleraque monstravere. Atque, per avaritiam Claudianorum temporum, emto jure